

5+6/97

IDIBVS DECEMBRIBVS
MCMXCVII

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
A IDIBVS

TOMVS 20

FASC. 121

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Maximas vobis gratias ago omnibus, qui symbolas sive ad argumentum nostrum pertinentes sive de aliis rebus compositas nobis misistis! Ergo hoc libello et de arte medicina et de aliis variis rebus legere poteritis. Praeterea illud carmen pulcherrimum Horatii poetae, quod nonnullis vestrum iam notum esse puto, tempori autem hiberno aptissimum mihi videtur (I, IX), propono:



Vides ut alta stet nive candidum
Soracte nec iam sustineant onus
silvae laborantes geluque
flumina constiterint acuto?

dissolve frigus ligna super foco
large reponens atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

permitte divis cetera, qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantis, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.

quid sit futurum cras, fuge quaerere, et
quem Fors dierum cumque dabit, lucro
adpone nec dulcis amores
sperne puer neque tu choreas,

donec virenti canities abest
 morosa. nunc et campus et areae
 lenesque sub noctem susurri
 conposita repetantur hora,
 nunc et latentis proditor intumo
 gratus puellae risus ab angulo
 pignusque dereptum lacertis
 aut digito male pertinaci.

Comitentur vos versus Horatii poetae per annum novum, qui sit vobis
 felix, faustus, fortunatus!

Valete!



Daniel Weissmann!

ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debit
4/97	82, lin. 9 83, lin. 18	gravitate persone	gravati persona



De arte medicina



De initio artis medendi Graecae

Prima vestigia cultus humani in Graecia apparent, cum vitae cultus in
 Aegypto iam floret. Graeci semper in cavernis vivunt.

Fabulae de heroibus Graecis docent antiquis temporibus homines aegros
 arte maga herbisque potentibus curatos esse.

Mirum autem est artem medendi intra pauca saecula ex efferitate ad
 summum deductam esse. Nam quinto a.Chr.n. saeculo ars illa iam flo-



Heroes Graeci:
 Alter alterius vulnus obligat


rebat. Homeri opera docu-
 menta maxima artis medendi
 edunt. Poeta enim de pugnis
 ante Troiam factis narrat. Nar-
 rat quoque de vulneribus et de
 morte heroum. Medici Homeri
 et in acie et in castris artem
 exercent. Magi non iam sunt,
 sed usu rerum docti aegros
 curant. Modo autem vulnera in
 pugna aut in venatione accepta
 medicari solent. Ceteri morbi
 saepe ad homines puniendos a
 deis mittuntur et a deis solis
 demoveri possunt. Gladius,
 hasta, sagitta clavaque arma
 usitata sunt, quibus vulnera

horribilia nonnumquam mortalia efficiuntur. Homerus vulnera magna
 cum diligentia sensibus oculisque subicit. Saepe in rebus singulis insistit.
 Artene sanandi peritus erat? Corpus humanum utique bene cognoscit.
 Poeta verus est, nam pocula, quibus remedia praebentur, subtiliter
 perscribit. De remedio ipso autem nihil accipimus. Aliquando Helena illa
 heroibus maestitia affectis herbam potentem vino addit. Homerus affir-
 mat herbam eam omnes dolores, metum misericordiam depellere. Forsi-
 tan sucus papavereus erat? Nam et in Palaestina et in Aegypto permultae
 lagunculae inveniebantur, quibus sucus is ad alias terras mittebatur.
 Apud Homerum medici magni aestimantur. Pugnis interesse non debent,
 nisi ii, qui agminis duces sunt. Saepe accidit, ut heroes pugnantes alii alios
 curare conentur medicis absentibus. Homerus laudat Sthenelum quen-
 dam, qui manum vulneratam Diomedis commilitonis funda lanea obligat.

Barbara Maier



Quomodo medici Graeci Romae auctoritate sua utantur



Medicus legens sedet ante armarium librorum.
Instrumenta medici supra videntur.

Graecia expugnata multi medici Graeci Romam ad artem medendi exercendam se conferunt. Antea pater familias morbos herbis et carminibus depellere conabatur. Romani per longum tempus medicis Graecis adversantur. Victores saepe a victis discere abhorrent. Certe magnus numerus fraudatorum, qui cum medicis doctis Romam invadunt, dignitatem ordinis medicorum spoliunt ipsique male audiunt. Cato Censorius, Graecorum inimicus, filio suo consilium dat, ut medicos Graecos vitet. Putat enim Graecos Romanos arte sanandi necare velle. Cato

ipse homines aegrotos brassica sanare vult. Affirmat urinam ipsam hominis brassicam edentis effectum salubrem habere. Multis annis post medici Graeci famam optimam consequuntur et medici Romani simulant se a Graecis originem trahere, ut in societatem laudum eorum veniant.

Caesar medicis Graecis civitatem tribuit et Augustus semper aegrotans eos magistratus instituit. Primo p. Chr. n. saeculo opus egregium de medicina editur. Auctor eius, nomine Aulus Cornelius Celsus, medicus certe non est. Est autem vir doctus varia scientia praeditus, qui res diligenter penitusque cognoscit.

Celsus tres partes scientiae medendi enumerat. Pars prima, quae victu medetur, 'diaietiké' (διαιτητική) nominatur, pars secunda, quae medicamentis curat, 'pharmakeutiké' (φαρμακευτική), pars tertia, quae manu curat, 'cheirurgía' (χειρουργία) appellatur. De medico, qui manu curat, multum dicit. Iuvenis esse debet aut satis iuvenis. Opus est oculos acie optima esse. Manibus tremere non licet. Cum secundum est, medicus clamores hominum neglegere debet. Celsus 'diaietikén' magni aestimat.

Iustus eius breves sunt: si homo aeger nimis multa edit, stomachus eius vomendo liberandus est.

Barbara Maier



De medicorum antiquorum mercede

Hippocrates, ille medicus Graecus, a discipulis suis petit, ut parvas mercedes sequantur. E pavore aegroti fructum capere non licet. Modus numquam transeundus est. Medici publici, a magistratibus oppidorum acciti, saepe bonam mercedem accipiunt.

Secundo a. Chr. n. saeculo medicus praeclarus nomine Meophantos in urbem Amphissam advocatus est. Officia eius cumulate reddita sunt. Non solum magnam pecuniam accepit, sed etiam villa magna et fundus latus ei usui erant.

Temporibus imperatorum Romanorum mercedes medici non iam ad certam legem revocantur. Itaque eas ignoramus. Certe autem parvae non erant. Plinius Maior in 'Naturali Historia dicit medicinam artem maximo quaestu esse. Medici, quorum nomina celebrantur, magnam pecuniam ex arte perficere possunt. Bona aegrotorum spectantes rationes conficiunt. Insuper honoraria exspectant, quibus homines denuo validi meritam gratiam referre debent. Medici ipsi se obligant, ne aegrotis noceant. Secundum ius Romanum enim nex neglegentia effecta vel vulnera voluntate facta iudicum sententiis traduntur. Nonnumquam res pretii modum excedentis in iudicium venit.

Plinius Maior narrat de medico nomine Charmis, qui nihil nisi de commodis suis cogitabat et ab aliquo aegrotato mercedem nimiam petivit. Itaque Claudius imperator eum tanto damno coegit. Sed medicus iste brevi tempore rursus dives factus est.

Persaepe servi ab emptoribus ad medicos ducuntur, qui de valetudine eorum iudicent. Medicus falsum iudicans in ius vocari potest. Medici, qui heredes ex asse fiunt, famam pessimam habent. Itaque Hippocrates medicis consilium dat, ne testamenta captent.

Barbara Maier



De Mithridatio

Mithridates VI, rex Ponti et Romanorum adversarius, medicina doctus et experimentorum amans erat. Antidotum invenit, cui nomen Mithridatium datum est. Cottidie antidotum sumebat veneficos poculaque mortifera timens. Temporibus eius principes persaepe veneno necabantur. Mithridates antidoti vim saepe in servis hominibusque capitis damnatis experiebatur. Antidotum efficax fuisse videbatur, nam Mithridates ipse veneno interfici non poterat. A Romanis superatus rex mortem sibi consciscere conabatur. Sed frustra. Ab omnibus venenis protectus erat. Postremo ferro se interimere debuit. Celsus, ille vir Romanus doctissimus, nobis additamenta antidoti tradidit. Magnam copiam partium praeceptum continebat velut papaver, castoreum, galbanum, anisum, petroselinum, murram, crocum, nardum...

Praeceptum versificatum erat. Quo modo metris impediatur, ne additamenta falsa insererentur. Etiam in aulis imperatorum Romanorum Mithridatium magni aestimabatur. Nomine Theriaci usque ad saeculum p.Chr.n. millesimum nongentesimum bene acceptum est. Alia additamenta adiciebantur. Medicus corporis Neronis imperatoris, nomine Andromachos, viperam carnem et copiam maiorem suci papaveri addidit. Et Galenus medicus de antidotis scribens narravit effectum Theriaci apud Marcum Aurelium imperatorem soporiferum fuisse. Affirmavit quoque Theriaco detracto agrotum minus valuisse.

Barbara Maier



Quid de medicis eorumque arte poetae Latini senserint

Primo saltem aspectu plerique poetae Latini medicos parvi fecisse videntur eorumque arti obstinate diffisi esse.

In Plauti comoedia, quae 'Menaechmi' inscribitur, medicus quidam ineptus agens inducitur, qui hominem mente quidem sanum, iustis autem de causis exasperatum, pro insano ac dementi accipit, adeo ut constringen-

das ilico ab eo esse putetur. Ridiculus sine ullo dubio iudicandus est medicus iste, qui (act. V, scaen. VI) utrum vinum album an atrum bibere soleat aegrotum interrogat, quasi de magni momenti indicio agatur ad amentiae signa cognoscenda.

Cato ille Censorius in 'Libris ad Marcum' (fragm. 1 Jordan) filium imprimis admonendum esse censet, ut medicos natione Graecos caveat, quos ille conspiravisse arbitratur, ut universos Romuli nepotes ad interuicium redigerent: qua vero sunt Quirites credulitate ac stultitia, periculum esse ne satis amplam quoque mercedem carnificibus suis impendant!

In XXXVII 'Carminum Priapeiorum', quae, ut inter omnes constat, alii ab Ovidio, alii a Martiale, a Petronio alii composita esse opinantur, misellus quidam homuncio loquens repraesentatur, qui Priapo votum soluturus ait maluisse se deum illum masculinae potentiae patronum exorare quam dubia atque incerta chirurgi opera uti: quam parvi temporibus illis medici existimari soliti sint, etiam isto ludibundo iocosoque apparet documento.

Ad ipsum nunc Martialem transeamus. In duobus epigrammatis libri primi (XXX et XLVII)¹⁾ Diali cuiusdam fit mentio, vespillonis e medico subito facti: at poeta maligna mordacitate subicit nullam re vera mutationem evenisse, cum eadem cura, hominum scilicet sepeliendorum, et chirurgi et vespillonis propria esset atque utrique muneri communis.

In nono libri quinti epigrammate²⁾ superior artis medicae cultor, nomine Symmachus, ludibrio irrisuique habetur, qui centum comitatus discipulis aegrotos visere consuevit. Ut aliquid experiendo addiscant, cunctorum mediastinorum manibus aquilone gelatis iacentis membra contrectanda offeruntur: ex quo fit, ut febris aestuare incipiat, qui ante tot medicorum adventum febrem non habuerit.

In decima satira Iuvenalis fuisse copiose ostendit quam graviter homines in deorum favore invocando errent ac decipiantur, cum id plerumque petant, quod non impetrare melius fuisse sera inutilique paenitentia concludant. Tam multa dicit poeta esse senectutis (cuius adipiscendae desiderio nemo non flagret) incommoda, ut brevius faciliusque enumerari possint aegroti, quos Themison autumno occiderit uno (v. 221): etiamsi per incidens, id est meracae comparationis modo, venenati sales vibrantur in imperitum medicae artis usurpatorem.

Non omnes autem Latinos poetas in medicis criminandis obtrechandisque consensisse dixerim.

Ad Tironem haudum libertum factum (diem vero manumissionis appro-

Sic medicinam ortam, subinde aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernentem a salutaribus. Repertis deinde iam remediis, homines de rationibus eorum disserere coepisse. Nec post rationem medicinam esse inventam, sed post inventam medicinam rationem esse quaesitam. Apud empiricos morbi cognitio extra artem, medicina intra usum est. Talia scripsit Cornelius Celsus aetate Tiberii.

Saeculo XIII^o ineunte res non aliter se habet, cum Gervasius Tilleberensis, Mareschalius Regi Arelatensis, Ottoni quarto, Romanorum imperatori, librum dedicavit, cui titulus est 'Otia imperialia'.

Hoc in libro de faba versa et eius efficacia legi possunt haec: Erat in confinio civitatis Neapolitanae mons excelsus, qui fumum eructuat et interdum ardentissima ligna proiicit, exusta in carbonis colorem. In huius sane montis aestuantis ascensu crescit herba, quam vulgus fabam inversam nominat, ad altitudinem novellae nucis alta foliis, ut nucis, amplis subacuris. Huius fructus, sicut fabae, siliquis includitur, ea tamen diversitate, quod dependent terramque respiciunt, cum econtra fabarum siliquae in altum protendantur. Est autem huius potentia satis ridiculosa; si enim ipsam cum oratione dominica ter repetita genu flexo collegeris: orans, ut qualem vultum praefendis, talem gustans ex ea protrudas; sine dubio hunc ipsum habere effectum conspicias. Si colligendo ridens, risum ex ea speras, gustans usque ad solis occasum ridebis sine intermissione; si fletus simulas, flebis falsa quasi pietate turbatus. Si nauseam aut egerendi gestum exprimis, id idem continget comedenti. Et scriptor: "Nec his fidem dedissem, si non ipse probassem; cum summo labore, ardua montis illius petens, herbam repperi in caverna montis sub castro, quod indigenae '*Summam*' nominant, quod Regis speciale est, munitione firmissimum."

Revera ad ipsam curandi rationem nihil plus confert quam experimentiam et rerum naturae contemplationem. Suo in libro Gervasius de aqua, qua potata reparat vires. In Britannia maiore, episcopatu Connetrense et Comitatu de Staford ad radicem montis, cui '*Mabul*' indigenae nomen indiderunt, est aqua in modum paludis amplae diffusa, in territorio villae, quam '*Magdalenam*' dicunt. In hac palude aqua est limpidissima et silvae

pinquare ex epistula ipsa apparet) sedula sollicitudine scribens (ad Fam. XVI, 14), Cicero ne impensis parcatur praecipit, dummodo sanitatem quam primum Tiro ipse recuperet: summus orator medico plane confidere videtur, cui quantum mercedis poscet solvi iubet; erat autem, ut facili coniectura conicimus, perspicacior ac diligentior medicus, qui idcirco Tironem ex corpore laborare intellexerat, quod animo angeretur: quae cum ita essent, animi vires refoendas recolligendasque, ut bona tandem corporis valetudine notarius ille frueretur.

Nec vero praetereundus silentio est ille 'Aeneidos' locus (XII, 391 sgg.), ubi Iapyx Troianorum duci saucio pro facultatibus suis succurrens inducitur. Medicus ille amplioribus pretiosioribusque Apollinis donis (augurio scilicet, citharaeque, celeribusque sagittis) medendi usum anteposuerat, quo dilecti vitam parentis prolataret.

"Mutas agitare inglorius artes" (v. 397): hisce verbis Vergilius significat quam patienter, quam silenter, quam modeste exercenda sit ars a professione cuius non sint magni honores cultoribus exspectandi; esse autem divinum munus sedare dolorem, immo nihil prorsus inveniri quo dilucidius pateat esse hominem, si homo re vera sit, imaginem Dei ac figuram.

Orestes Carbonero

- 1) Chirurgus fuerat, nunc est vispillo Diaulus:
Coepit, quo poterat, clinicus esse, modo. (I, XXX)

Nuper erat medicus, nunc est vispillo Diaulus:
Quod vispillo facit, fecerat et medicus. (II, XLVII)
- 2) Langueram: Sed tu comitatus protinus ad me
venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus aquilone gelatae:
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo. (V, IX)



infinite continua, quae tantam habet in reficiendis corporum viribus efficaciam, quod quotiens venatores cervos aliasve feras insecuti fuerunt usque ad equorum lassitudinem, si in ipso aestuantis solis ardore aquam gustaverint ac equis exposuerint hauriendam, sic amissas currendi vires reparant, quod non cucurrisse dietam, sed vix attigisse iam coeptam, arditteris. Nec absimilis est herbae cerifolii aut panis calidi, ut, quibus mustela ex diutina cum serpente concertatione lassata se implicat, ut ex confricatione herbarum amissas resumat vires.

Est etiam in civitate Neapolitana civitas Puteolana, in qua Virgilius ad utilitatem popularem et admirationem perpetuam balnea construxit, miro artificio aedificata, ad cuiusvis interioris ac exterioris morbi curationem profutura, singulisque cochleis singulos titulos superscripsit, in quibus notitia erat, cui morbo quod balneum deberetur. Verum novissimis diebus, cum apud Salernum studium Physicorum vigere coepisset, Salernitani invidia tacti titulos balneorum corruerunt, timentes, ne divulgata balneorum potentia lucrum practicantibus auferret aut diminueret. Ipsa tamen balnea pro maxima parte intacta diversis morborum generibus medelam tribuunt. Suspecta quoque sunt illa, quae certam incolarum non habent notitiam, aut ad virtutem memoriam, eo, quod inter duo contrariorum effectuum infirmitas confici potius quandoque posset quam curari.

Etiamsi res ad curandum repertae sunt, morborum causae tamen plerumque obscurae manserunt.

Stella Gitta



Petri Royzii epigramma in imperitum medicum

Petrus Royzius Maureus (Hispanice: Pedro Ruis de Moros) saeculo XVI^o ineunte in Hispania natus est et anno 1571^o in Lituania mortem obiit. In universitate Illerdensi (Lérida) iuri civili atque iuri canonico studuit. Circa annum 1530^{um} Italiam petivit, ubi artem suam perfecit. At anno 1542^o ad ius civile in universitate Cracoviensi (Krakau) docendum arcessitus est: Ibi maxime honoratus, in patriam suam numquam rediit.

Cum valetudine non esset firmissima, auxilio medicorum saepe usus est. At cum Musas diligenter coleret, ex experientia sua splendores et umbras huius ordinis cognovit, quas facetis epigrammatis celebravit.

Quorum ecce hoc exemplum:

Indoctus cum sis medicus, cui nulla Galeni
littera, cui notum iota nec Hippocratis,
quid loquor - occidas hominum cum milia multa,
ulla nec a te sit visa venire salus,
insanis an amas? Tyrios indutus amictus
ire audes? Semper coccina ferre iuvat?
Nec venit in mentem, quot tu demiseris orco
milia, quot per te milia in urbe fleant,
quot viduae, quot pupilli sumpsere cucullas,
civibus urbs ploret quot viduata suis?
Te tamen ardentem tyrio iuvat usque lacernam
murice, te semper coccina ferre iuvat?
Pulla iuvent; medicis conchylia linque peritis;
non quadrat medico purpura carnifici.
Pone ergo laetas, age, vestesque indue tristes,
plorantum, infelix, et tege more caput.
Funeribus, quorum multis tu milibus urbem
indoctus complex, convenit ille color.

Tradidit Teresa Macjon, Lodzensis

(ex libello 'De feriis Latinis Nicensibus undecimis', a Clemente Desessard edito).



Ausonii poetae versus de medicis malis

D. Magnus Ausonius, filius medici Burdigalae vitam agentis, poeta praeclarus quarti p. Chr. n. saeculi erat. Versus quoque fecit de duobus medicis malis:

I

Languentem Caium moriturum dixerat olim
 Eunomus. Evasit fati ope, non medici.
 Paulo post ipsum videt (1), aut vidisse putavit,
 pallentem et multa mortis in effigie.
 "Quis tu?" - "Caius", ait. - "Vivisne?" - Hic abnuvit. "Et quid
 nunc agis hic?" - "Missu Ditis", ait, "venio
 ut, quia notitiam rerumque hominumque tenerem,
 accirem (2) medicos." Eunomus obrigit.
 Tum Caius: "Metuas nihil, Eunome. Dixi ego et omnes
 nullum, qui saperet dicere te medicum."

II

Languenti Marco dixit Diodorus haruspex
 ad vitam non plus superesse sex dies.
 Sed medicus divis fatisque potentior Alcon
 falsum convicit illico haruspiciam,
 tractavitque manum (3) victuri, ni tetigisset:
 Illico Marco sex periere dies.

D. Magnus Ausonius
 (Tradidit: Barbara Maier)

- 1) Eunomus videt
- 2) a terra in orcum
- 3) manus = pulsus venarum



Q M. Valerii Martialis poetae epigrammata de medicis

Lotus nobiscum est, hilaris cenavit, et idem
 inventus mane est mortuus Andragoras.
 Tam subitae mortis causam, Faustine, requiris?
 In somnis medicum viderat Hermocraten.

(VI, LIII)

Oplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante.
 Fecisti medicus, quod facis oplomachus.

(VIII, LXXIV)

Uxorem, Charideme, tuam scis ipse sinisque
 a medico futui: vis sine febre mori.

(VI, XXXI)

Santonica medicata dedit mihi pocula virga:
 Os hominis! Mulsum me rogat Hippocrates.
 Tam stupidus numquam nec tu, puto, Glauce, fuisti,
 χάλκεα donanti χρύσεια qui dederas.
 Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
 Accipiat, sed si potat in elleboro.

(IX, XCIV)

Clinicus Herodes trullam subduxerat aegro:
 Depensus dixit: "Stulte, quid ergo bibis?"

(IX, XCVI)

Nequius a Caro nihil umquam, Maxime, factum est,
 quam quod febre perit: fecit et illa nefas.
 Saeva nocens febris saltem quartana fuisset!
 Servari medico debuit illo suo.

(X, LXXVII)




De anaesthesia

Ante 150 annos gynaecologus Scoticus nomine James Young Simpson
 (1811-1870) primum dolores partus puerperae cuiusdam chloroformio
 levavit.

Die 11^o mensis Novembris enim anno 1847^o cochlear theanum medium
 chloroformii in linteolum infudit, quod ori et naribus puerperae imposuit.
 Quae tunc sine doloribus puellam peperit, cui nomen 'Anaesthesia'
 datum est.

Eo facto historiae medicinae memoria digno Simpson(i) ratio operationum medicarum sine doloribus initium cepit, et ille medicus quasi inventor anaesthesiae vel narcosis habetur. Sed non obliviscendi sunt nonnulli medici, qui antea iam his rebus studuerant et experimenta susceperant.



James Young Simpson

Dentista Americanus nomine Horatius (Horace) Wells exempli gratia in mercatu vim doloris levandi gasi narcotici (Lachgas) casu invenit, quo tum per iocum ad homines ad risum adducendos utebantur. Die 11^o mensis Decembris anno 1844^o Horatio Wells a colloca quodam illum gasum adhibente dens sapientiae aegrotus extractus est. Tum Wells ipse aegrotantes eodem modo curavit. Die 16^o mensis Octobris primum operatio chirurgica anaes-

thesia adhibita facta est.

Tum celerrime res processit: Die 21^o mensis Decembris anno 1846^o Robertus Liston primum in Europa aetherisationem adhibuit. Die 21^o mensis Ianuarii anno 1847^o Academiae Francogallicae iam de ea re nuntiatum est; die 24^o mensis Ianuarii prima aetherisatio in Germania facta est, tribus diebus post in Austria.


Medici universitatis Bernensis in Helvetia etiam inter primos fuerunt in anaesthesia inducenda: Die 23^o mensis Ianuarii professor Hermann Demme, ordinarius chirurgiae Bernensis, Societati in rerum naturam inquirenti Bernensi (Berner Naturforschende Gesellschaft) de usu narcosis retulit.

Sed James Young Simpson tandem contigit, ut vim narcoticam chloroformii invenit: Unum fere annum multa et varia chemicalia probaverat - inter ea etiam chloroformium. Aliquando vesperi cum amicis et familiaribus de ea re colloquebatur. Lagona chloroformium continens deprompta et aperta est: alius post alium vi illius odoris superatus de sella delapsus est. Postea, cum convivae se refecerant, alius post alium gasum spiritu hausit. Tum invicem acibus se punxerunt: Nullos dolores senserunt. Denique anaesthesia domus regias quoque invasit. Die 7^o mensis Aprilis anno 1853^o medicus Anglicus chloroformium adhibens effecit, ut regina Victoria sine doloribus partum edidit.

Daniel Weissmann



Molière poeta medicos ludibrio habet



Exhibitio 'Viri aegrum simulantis' Ludovico XIV rege praesente

Septimo decimo p.Chr.n. saeculo poeta comicus, nomine Ioannes Baptista Poquelin, magnam famam nomine Molière consecutus est. Permultas comoedias scripsit, quae aetate nostra semper exhibentur. Molière, qui pulmonibus valde laborabat, haud paucos medicos consulebat. Nemo autem eum adiuvere poterat. Itaque medici inepti auctori saepe ludibrio erant. Eos pro ignorantia ulcisebatur. Medici voces inanes fundunt, commodis suis serviunt, homines aegrotos neglegunt.

In comoedia illa titulata 'Vir aegrum simulans' (Francogallice: 'Le malade imaginaire'), Molière ballationem scaenicam praebet. Pharmacopolae sex et viginti duo medici saltant et cantant. Auctor bene Latine Graeceque doctus medicos deridens lingua Latina ficta utitur. Ut exemplum afferam, audiamus praesidem scholae medicinae Lutetiae, qui laudes artis medicinorumque facere conatur:

Savantissimi doctores,
 Medicinae professores,
 Qui hic assemblati estis,
 Et vos, altri messiores
 Sententiarum Facultatis
 Fideles executores
 Chirurgiani et apothicari,
 Atque tota compania aussu,
 Salus, honor et argentum,
 Atque bonum appetitum.
 Non possum, docti confreri,
 En moi satis admirari
 Qualis bona inventio
 Est medici professio,
 Quam bella chosa est et bene
 trovata,

Medicina illa benedicta,
 Quae, suo nomine solo,
 Surprenanti miraculo,
 Depuis si longo tempore,
 Facit a gogo vivere
 Tant de gens omni genere.
 Per totam terram videmus
 Grandam vogam ubi sumus,
 Et quod grandes et petiti
 Sunt de nobis infatuti:
 Totus mundus, currens ad
 nostros remedios,
 nos regardat sicut deos,
 Et nostris ordonnanciis
 Principes et reges soumisos
 videtis.....

Molière frustra medicinam pulmonum a medicis petens quinquaginta unum annos natus morbo absumptus est.

Barbara Maier



Quo Quo modo vulnerati tempore Belli inter Civitates Gesti Americani curati sint

Cum mihi collegas meos RUMOREM VARIUM divulgantes et curantes antiquitatem diligere et ea de causa de Hippocrata aliisque medicis Graecis Romanisque sub titulo 'De arte medica' accurate et distincte disserturos esse persuasum sit, equidem id tractabo, quod mihi cordi est: Vobis, cari legentes, de arte medica, qualis in usu erat tempore Belli inter Civitates Gesti Americani (1861-1865), referam.

Homo creatura magna indole praedita est. Miramur, quod per saecula tot et tanta invenit. Sed - pro dolor! - illud proverbium non mentiri videtur, quod dicit: "Bellum pater omnium rerum est." Profecto multae res potius ad bellum gerendum quam ad pacem et ad hominum progressum ineundum spectantes inventae sunt. Quis ignoret bombas hydrogenicas iam exstare, sed hydrogenium nondum ad energiam pacificam gignendam posse adhiberi?

Similiter res se saeculo XIX° in America habebant, cum bellum ingens inter civitates septentrionales et meridianas saeviret. Arma nova gregatim inveniebantur et adhibebantur, velut naves cataphractae, naves submarinae, folles conflati, canones supergraves etc. Talibus instrumentis infernalibus, ut ita dicam, numerus militum occisorum et laesorum in immensum amplificabatur. Toto Bello inter Civitates Gesto Americano sescenties milia militum fere necati sunt, plures enim Americani quam Bello Mundano utroque!

Multi, immo plurimi eorum bellum vivi superavissent, si ars medica similiter esset progressa ac ars bellica. Nam pars necatorum maior non telis adversariorum est necata, sed vulneribus male curatis et morbis epidemicis.



Medici aegrotum visitant (Pictor nomine Daumier imaginem fecit)

Praescripta hygienica in campis non exstabant: Tentoria saepe iuxta paludem vel in vallibus collocabantur. Milites ex aqua polluta bibebant, nam eadem aqua et ad lavandum et ad bibendum et ad excrementa dissipanda usurpabatur. Latrinae modo paucae effodiebantur, praeterea multi milites latrinis non consueti illis non utebantur. Si castra militaria intrasses, ubique faecalia et cibos relictos vidisses. Ratti et muscae talibus conditionibus optime florebant et morbos cito divulgabant.

Milites raro lavabantur et raro vestimenta mutabant. Falso nutriebantur, quod vitamina tam necessaria cibis militibus distributis non satis continebantur. Exercitus meridianus peius se habebat quam septentrionalis, quod saepa navalia prohibebant, quominus res ad vitam necessariae importarentur.

Si milites oppidis maioribus appropinquaverant, etiam numerus eorum augmentabatur, qui morbis sexualibus vexabantur.

Miserrimi autem erant illi, qui proelio non necati, sed graviter vulnerati erant. Medici enim eos adiuvere vix poterant. In exercitu utroque pauci modo medici erant. Vulnerati haud raro per horas sive per dies complures humi iacebant, priusquam invenirentur et curarentur. Medicamina rara erant. Vulneratis saepissime crura vel brachia laesa amputabantur. Qui amputatione vivus abierat, felix erat nominandus, quia medici sine anaesthesia laborabant. Vulneratis vischium (Whisky) infundebant, donec delirarent. Antisepsis ignorabatur: Medici manus raro lavabant, milites nuper amputati sordidis panniculis involvebantur neque raro in stabulis deponebantur. Vulnera tali modo non sanabantur, sed inflammatione, quin etiam rigore nervorum inficiebantur. Si quis visceribus vel capite vulneratus erat, medici plane imperiti sanandi erant. Infelices morti destituebantur.


Sic non mirandum est, quod milites magis medicos quam hostes timebant! Medici autem etiam numero vulneratorum abhorrebant. Quo modo decem milia vulneratorum uno die curare poterant? Arma multo rapacius saeviebant, quam ut medici laborare possent.

Martin Meier



De Sebastian(o) Kneipp sacerdote medico

In vico nomine Dillingen ad Danuvium fluvium sito hieme anno 1849° res



Sebastian Kneipp (1821 - 1897)

mira fit: Ad flumini ripam vir quidam stat, rapide vestes exuit, tres quatuorve secundas in aqua gelida sedet et tum frigore tremens vestes iterum induit. Estne ille aliqui insanus? an vitae eum taedet? Nequaquam. Moriturus est, cui medicus diagnosem tuberculosis progredientis fecit.

'Ursum marinum' illum virum 28 annos natum et propter curationis modum durissimum in aqua frigida et propter mores rusticos et agrestes nominant. Nomen eius est Sebastian

Kneipp, theologiae studiosus.

Postea lavationum suarum in flumine recordans scripsit:

"Fessus domo exii, reffectus et confirmatus redii domum atque cognovi, si quod remedium ex-staret, id aquam esse."

Sebastian Kneipp natus est die 17° mensis Maii anno 1821° in parvo vico nomine Palus Stephani (Theodisce: Stephansried) in Algovia (Allgäu).

Parentibus omnino quinque liberi erant, quorum Sebastianus quartus fuit. Pater eius textor pauperrimus erat.

Iam a pueris Sebastianus Kneipp cupiditate litterarum et scientiarum captus est, sed cum pater eius auxilio egeret in arte textrina exigenda laboriosa, Sebastianus eum adiuvari debuit et saepe plagas accepit, cum pater prope iugum libros inveniebat.

Nulla pecunia ad studia agenda suppetante Sebastianus Kneipp praeter texturam famulum et mercennarium se locavit.

Per nonnullos annos omnino viginti clericos adibat, ut sibi in desiderio suo explendo, ut sacerdotem fieri posset, adessent. Frustra.

In textrina umida et pulverulenta catarrhum arteriae asperae contraxit. 23 annos natus tandem capellanum propinquum invenit, qui eum in proposito suo assequendo adiuvit. Itaque cum discipulis octo annos minoribus natu studiis incubuit. Examen maturitatis summa intentione et labore tantum perfecit, cum morbo pulmonis vexaretur.

In bibliotheca aegrotus studiis incumbens libellum anno 1738° editum cuiusdam doctoris nomine Johann Sigmund Hahn casu invenit, qui de vi salubri aquae nuntiavit. Quam rationem Kneipp postea excoluit et in disciplinam suam de valetudine in quinque columnis posita amplificavit et auxit.

Cum Sebastianus Kneipp anno 1854° sacerdos inauguraretur, iterum optima valetudine fruebatur. Ad primum munus capellani accessit.

Anno 1854° pharmacopola quidam ad episcopum Augustae Vindelicorum (Augsburg) de quaestione deminutione nomen Sebastiani Kneipp detulit. Qui solerter se defendit: "Si quis aegrotat neque quicquam auxilium invenit et plures iam medicos frustra consuluit - nonne ille mihi adiuvandus est?" Confirmavit: "Sacerdos inauguratus maxima proposita cepi in hac re nihil amplius facere. Sed rem non tam difficilem existimabam, ut tunc mihi occurrit: Ad lectum aegrotorum veni, lamentationes eorum audivi - neque eos adiuvari deberem?"


Fama percreebuit sacerdotem medicamenta efficacia et pretii modici novisse contra morbos. Quae res annis sequentibus identidem causa simultatum cum pharmacopoliis et medicis erat.

'Capellanus cholerae' Kneipp nominatus est, ex quo anno 1854°, cum pestilentia cholerae in illa regione saeviret, nonnullos aegrotos prospero successu curavit.

Anno 1855° Kneipp confessarius monasterii Dominicanarum in vicum nomine Wörishofen translatus est.

Ibi Kneipp monachas nobiles et pias se putantes ad praedium colendum incitavit, et ipse manus iniecit. Mox rustici desierunt istum clericum, quem simplicem putabant et qui rationes et instrumenta agriculturae emendare voluit, deridere, cum ille re vera maiora poma terrestria meteret et pecus nitidius in pascua ageret.

Anno 1874° Sebastianus Kneipp librum composuit titulo 'De Friderico agricola sedulo' ('Fritz, der fleissige Landwirth'), et alia quoque opera de agricultura edidit. Accepit diploma honoris de agricultura meritorum causa.



Curatio ratione Sebastiani Kneipp aetate nostrorum maiorum

Curare et sanare non desiit. Fama viri miracula conficientis eum sequebatur. Nonnullos petentes suo more rustico dimisit, sed aegrotantes frequentiores ad eum venerunt. Interdum longae ordines expectantium ante officinam lavatoriam monasterii, quam Kneipp in casam balneariam transformaverat, stabant.

In monasterio pharmacopolium instituit, a veteribus mulierculis herbarum salutarium peritis consilium petivit, effectum theae in corpus suum diligenter observavit.

Nuntii de curationibus miris vagabantur velut de illa femina sanguinis profusione laborante e vico nomine Hartheim, ad quam Sebastian Kneipp vocatus erat, ut extrema unctione eam muniret. Mater 9 liberorum iam 13 hebdomades aegrotans in lecto iacebat, et medicus vaticinatus erat eam intra paucas horas animam cum sanguine effusuram esse. Kneipp ei theam e visco et ex equisetu arvensi (nostra lingua: Zinnkraut) paratam dedit et lavationes frigidas praescrispsit. Tum moritura totaliter se recreavit. Cum incolae vici Wörishofen primum propter 'colluvionem aegrotam' - ut dicebant -, quae in vico vagabatur, fremebant, tum nonnulli negotiosi ex hominibus frequenter advenientibus fructum ceperunt: Nova deversoria aperta sunt. Illi de lucro magno faciendo somniare coeperunt, cum Sebastian Kneipp a plurimis aegrotis nullam mercedem postularet.

Kneipp adiutores erudit. Medici frequentes ad eum venerunt, primum suspiciosi, deinde inflammati et admirantes. Nostra aetate Aquae Wörishofen (Bad Wörishofen) vicus recreationis principalis ratione Sebastiani Kneipp utens est.

Anno 1886° Kneipp librum titulo 'De mea curatione aquaria' ('Meine Wasser-Kur') divulgavit, ut aegroti domi ipse se curare possent et minus frequentes viculum visitarent et ut ipse nihil aliud nisi munere sacerdotis fungi posset. Sed liber rapidissime venditus est, et aegroti etiam e terris externis ad eum venerunt. Annis posteris Kneipp complures libros composuit.

Anno 1888° primam domum balneariam aperuit. Nisi ingenio naturali medico praeditus voce tonante in ecclesia praedicavit, homo immani corporis magnitudine, robustus et alacer, in locutorio sedebat, labris saepe morose contractis sigarum tenens, et ad pedes eius canis Pomeranus (nostra lingua: Spitz) et prudens et malignus sedebat.

Nonnumquam aegrotos impatienter et rustice tractavit, imprimis superbos et arrogantes nobiles. Sacerdoti vetustiori, qui questus erat, quod vertigine laboraret, respondit: "Eminentia, nimis potas; inde vertigo tibi fit!" Sed sub putamine duro nucleum mollem abscondebat. Imprimis pauperes et famuli et servi ei cordi erant, et inter liberos animus eius effloruit. Confessus est se totam noctem dormire non posse, si quem laeserat.

Anno 1897° valetudo Sebastiani Kneipp minuta est: Socius operis, doctor Alfred Baumgarten, in ventre eius tumorem invenit. Kneipp omnes curationes repudiavit nisi suam aquariam et fomenta lutea. Quattuor dies ante mortem doctori Baumgarten fassus est: "Semper homo timidus eram, et duas res timebam, me puero imprimis: virgam et condemnationem aeternam. Et vox intestina mihi clare dixit: Si infernum effugere vis, sacerdos fi."

Die 17° mensis Iunii anno 1897° Sebastian Kneipp 76 annos natus animam efflavit.

Daniel Weissmann



ARANEA NIGRA

fabula a Ieremia Gotthelf poeta Helvetico scripta

(Die Schwarze Spinne, ed. a. 1842)

Pars quarta et ultima:

At sacerdos non audivit, eorum sermonem neglexit; promotus impetu mirabili tamquam alis precum suarum impositus approperabat acclivitatem ecclesiasticam, pedes eius nullo lapide offensi, oculi nullo fulgure obcaecati sunt; tremuli autem, longe ab eo remoti, re sanctissima, quam sacerdos ipse gessit, obtecti, ut putaverunt, Iohannes et sacrista eum secuti sunt.

Iisdem ante vicum, ubi in vallem demittitur acclivitas, subito sacerdos constitit et manu oculos supertexit. Infra sacellum in fulguris lumine nitet penna rubra et sacerdos oculis acribus videt e nemore viridi eminere caput nigrum, in quo nutat penna rubra. Diutius cum spectaverit, in acclivitate ulteriore conspicit trucem speciem cursu rapidissimo quasi venti im-

petu vehementissimo advolantem ad caput obscurum, in quo vexilli instar nutat penna rubra.

Tum sacerdos conflagravit sancto impetu pugnandi, quo, ubi primum malum suspicati sunt, corripuntur ii, qui corda habent Deo dedicata, sicut granum seminis corripitur instinctu vitae in se invadentis, sicut flos eodem invaditur, ut dehiscat, sicut corripitur heros, si hostis gladium sustulit. Qualis homo sitiens in fluctus fluminis frigidulos, qualis heros in proelium, talis sacerdos rapide se demisit de declivi, se proripuit ad pugnam audacissimam faciendam, se pressit medium inter virum viridem atque Christinam infantem manibus alterius imposituram, iis voce sonorissima interpellavit tria nomina omnium sanctissima, sanctissimam rem attinens ad faciem viri viridis, infantem aspergit aqua benedicta, simul Christinam. Tum horribili ululatu sublato vir viridis avehitur, tamquam virga ruboris flammei aufertur coruscans, usque dum a terra devoretur; Christina, cum aqua benedicta sit attacta, atroci cum sibilatu marcescit tamquam lana igni indita, tamquam fomes aquae iniectus, sibilans, flammam agens corrugatur in araneam nigram, tumidissimam, formidulosissimam faciei suae insitam, una cum ea corrugatur, sibilando in eam transit, quae nunc veneno abundans, contumax medio infanti insidet, sacerdotem aspectans rabidis oculis coruscantibus. Is eam aqua benedicta aspergit, ut stridor audiatur quasi lapide calido aqua profana consperso; aranea magis magisque augetur, pedes suos nigros latius latiusque porrigens super infantem, aspectans sacerdotem duris oculis etiam trucioribus; tum is religiosa sua fide ardentissima firmatus eam comprehendit manu audaci. Sibi videtur manum immittere aculeis fervidissimis, sed immotus comprehendit, malam bestiam abiecit, cum infante apprehenso sine mora ad matrem appropinquat.

Pugna sacerdotis finita, desiit etiam pugna nubium, quae repropinquaverunt in cameras suas opacas; mox tranquillo lumine stellarum micuit vallis, in qua brevi ante saevierat proelium furiosissimum, sacerdos spiritu fere exanimatus domum properando advenit domum, in qua matri atque infanti illatum erat facinus nefarium.

Ibi mater adhuc torpuit, acuto clamore sublato anima eius defecerat; iuxta eam tremula sedit anus, quae adhuc confidit Deum potentiores esse quam diabolum peiores. Eo quod sacerdos matri reddidit infantem, reddidit vitam. Mater resuscitata, simul ac conspexit infantem, tanto gaudio

effusa est, quantum nemo novit nisi angeli caelestes, et sacerdos infantem matris brachiis impositum baptizavit in nominis Patris et Filii et Spiritus Sancti; infans nunc in aeternum ereptus erat e vi diaboli, nisi se sua sponte isti traditurus foret. Sed contra istum servatus est a Deo, in cuius potestatem anima sua tradita erat, cum corpus remaneret veneno araneae imbutum.

Mox anima eius recessit, corpusculo tamquam usturis notato. Flevit quidem mater, sed, ubi omnis pars eo recedit, quo pertinet, ad Deum anima, ad terram corpus, ibi serius ocius praebetur solacium.

Sancto officio suo functus sacerdos coepit sentire insolitum pruritus manus atque brachii, quibus araneam abiecerat. Vidit manum suam parvis maculis nigris obsitam esse, quae manifeste augebantur et intumescabant; ipse perfundebatur horroribus mortiferis. Mulieribus benedictis domum properavit; ut erat pugnator fidelis, arma sancta eo laturus erat, quo pertinuerunt, ut post se alii praesto forent. Brachio altius intumescente, nigris tuberibus altius altiusque inturgescentibus luctatus est cum fatigatione mortifera, sed non succubuit.

Cum ad acclivitatem ecclesiasticam advenisset, vidit Iohannem, patrem Dei oblitum, qui, ubi mansisset, nemo sciverat, media in via supinum. Eius facies fuit tumidissima et fuliginosa, in qua sedit aranea magna et nigra et formidulosa. Cum parochus venisset, illa se inflavit, truces horruere capilli dorsales, aspectavit eum trucibus oculis torpentibus et scintillantibus, catinae similis in faciem inimicissimi insultatae. Tum sacerdos benedictione armisque sanctis sublatis effecit, ut aranea cohorreret, longis pedibus de facie nigra reperet, in gramina sibilantia evanesceret. Denique sacerdos domum iit, sanctissimum in loco recto deposuit, cum corpus eius doloribus saevientibus ad mortem raperetur, anima sacerdotis dulci pace expectabat Deum, pro quo iuste pugnaverat forti pugna divina, nec diu sivit Deum eam expectare.

At pax tam dulcis, qua Dominus tranquille expectatur, nec fuit in valle extrema nec in summis montibus.

Ex eo momento temporis, quo Christina cum infante raptus de monte erat devecta ad diabolum, immani terrore commoti sunt omnes. In tempestate horrenda homines morte territi tremuerant, nam ex animo sciverunt, se, si delerentur manu Dei, hoc meruisse. Tonitribus et fulguribus finitis ostentim nuntiatum est parochum infantem relatum baptizavisse, sed neque Iohannem neque Christinam visam esse.

Prima luce omnium facies pallidae fuerunt neque sole pulchro coloratae sunt, nam omnes bene sciverunt nunc demum ventura esse omnium terribilissima. Nunc auditum est parochum mortuum esse tuberibus nigris obsitum, inventus est Iohannes facie nigrata, et de aranea nigra, in quam mutata esset Christina, audita sunt verba mire conturbata.

Dies fuit serenus, ad messem faciendam aptissimus, sed nulla manus mota est laboratum; homines concurrerunt, ut fieri solet die post diem, quo aliqua calamitas magna facta est. Nunc demum in animis suis tremantibus vere senserunt, quid esset immortalis anima se redimere ab aerumna et tribulatione humana, senserunt esse Deum in caelo omnem iniuriam miseris infantibus inopibus illatam horribiliter ulciscentem. Itaque tremantes constabant et querebantur; ei, qui fuit apud alios, non iam licuit domum ire, tamen rixae et lites in iis erant, unus culpam in alium transferebat, nemo non contendebat se dissuasisse et praemonuisse nemoque non assentiebatur noxiis poenam esse luendam, si quidem sibi suaeque domo parceretur. Si in hac terribili expectatione et litigatione novam victimam innocentem invenissent, ne ullus quidem fuisse, quin spe propriae salutis nefarie ageret in eam.

Tum media in multitudine aliquis clamorem sustulit, qui sibi videretur pedem posuisse in spina fervidissima, quasi pes ad pavimentum affixus esset clavo fervidissimo, medulla ossum suorum flammis perflueretur. Disiecta est multitudo, omnes conspexerunt pedem, versus quem manus clamantis est propulsa. At in pede sedit nigra et magna aranea, circumspectans torpidis oculis trucibus et malevolis.

Tum omnium riguit sanguis in venis, spiritus in pectore, visus in capite, et aranea tranquille et malevole circumspectabat oculis torpidis, et pes illius nigratus est, in corpore videbantur ignis et aqua inter se pugnare furiosa cum sibilatione; angore disiecta sunt vincula terroris, multitudo discurrit. At aranea mirabili cum celeritate sedem suam primam reliquit, super eius pedem, ad illius calcem cucurrit, ut corpora pervaderentur ardoribus atrocibusque clamoribus etiam vehementius fugarentur fugientes. Terrore mortis perfusi tamquam bestiae ferae a saevis venatoribus agitatae quam rapidissime accurrerunt casas suas nemoque non putavit post se esse araneam neque ullus ianua obstructa desiit tremere timore ineffabili...

A. 1842 scripsit
JEREMIAS GOTTHELF
Helvetius

A. 1997 in Latinum convertit
NICOLAUS GROSS
Germanus Coreanensis

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XIX fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:	secundum praemium:	tertium praemium:
Estelle Gitta François-Lehmann 2 1218 Grand-Saconnex	Hans B. Bärlocher-v. Euw Teufenerstr. 116 9000 St. Gallen	Laura Mercolli Kastanienweg 63 3095 Spiegel

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

ad libram

1 CONIUGES	18 GP
7 UT	19 TRES
8 AT	20 ITE
9 TU	21 ARS
10 PISCIS	22 AMOR
11 II	23 TE
12 IN	24 CD
13 AC	25 RI
14 D	26 ETSI
15 ITAQUE	27 RES
16 IERIM	

ad perpendiculum


1 CUPIDITATE	22 AD
2 OTII	24 CI
3 IACITIS	
4 UTINAM	
5 ET	
6 SUSCEPERIS	
13 AUGTORE	
15 IRES	
17 ERRET	
20 IM	

Rumoris Varii domus editoria




De lapicidinis usque ad sententiam tabulae inscriptam


Duae classes Latinae vici Duedingensis magno cum gaudio et maximo cum labore sententias Latinas lapidibus inscripserunt. Qua de causa in vicum Liesberg prope Basileam situm vehiculo vecti sunt.



Ibi dominus Thomann duas horas visitantibus lapicidinas familiae suae monstravit: saxa pulcherrima colore flavo,




machinas nomine caterpillario, quae saxa transportant, machinas, quibus saxa tabulas facienda causa secantur, machinas, quibus superficies tabularum acuuntur.





Postremo dominus Thomann classi nonnullas tabulas donavit - sine ullo pretio - , ut iis sententias antiquas Latinas Graecasque caelarent.


Domi dominus Kilchoer, sculptor, tabulas paravit, dum magister linguae Latinae machina computatrice sententias scidae perlucidae inscribit.




Nunc discipulorum erat litteras in lapide imitare. Sic sententiae legi poterant sicut stilo plumbo inscriptae essent.




Tandem malleo et caelo labor difficillimus caedendi incipit.





Bene accidit, ut magister
Kilchoer semper aderat sine
mora adiuvens. Sine auxilio
eius...summa horribilis es-
set.

Una littera unius horae la-
bor est, post scholam!



Sed quid dixerunt maiores nostri?

De nihilo nihil / Per aspera ad astra / Omnia vincit Amor / Carpe diem /
Ubi bene, ibi patria / O tempora, o mores! / Εὐρηκα / Πάντα ρεῖ /
Γνώθι σεαυτόν .



Ecce sententiae tabulis inscriptae (a sinistra ad dextram partem): OMNIA VINCIT AMOR (Vergilius), UBI BENE IBI PATRIA (Cicero), ΕΥΡΗΚΑ (Archimedes), ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ (Thales), ΠΙΑΝΤΑ ΡΕΙ (Heraklit), Ο ΤΕΜΠΟΡΑ Ο ΜΟΡΕΣ (Cicero).


Haec igitur sunt sententiae, quas tabulis caelavimus. In cubiculo Latino muris affigentur ad maiorem gloriam linguae Latinae. Contenti et superbi sumus. Dominis Thomann et Kilchoer plurimas gratias agimus. Quis stupet, quod discipuli, qui in classi inferiore sunt, idem facere cupiunt?!

Ingrid Bertschy, Yasemin Göksu
Nadine Durot, Corinne Gander
Martin Kuriger

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIVS APRILIBVS** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS



ad libram

- 1 insectatus
- 9 propter
- 10 dea, quae mulieres ex partu laborantes adiuvat
- 12 ferro
- 14 haud modice
- 15 voluptatem capio
- 17 carmina a Horatio poeta composita (Acc.)
- 18 urbs Ionica in litore Lydiae sita est (coniunctivus praesens)
- 20 susurri (Abl. sg.)
- 21 centum
- 22 ad regionem Palaestinae pertinentes (Acc. pl. f.)
- 24 es (coniunctivus imperfectus)
- 26 mille quingenti quinquaginta
- 27 quingenti
- 28 possessione (Abl. sg.)
- 29 flumen, quod in Tiberim influit, hodie: Nera
- 30 clamor doloris

32 felix (Graece)

33 nato

ad perpendiculum

- 1 percipere
- 2 opprimi
- 3 accumbas
- 4 Peloponnesi regio
- 5 invoco
- 6 coniunctio Latina
- 7 rex crudelis Scythiae
- 8 simo (Dat. sg. m.)
- 11 quae sunt contrariae albarum
- 13 diligitis
- 15 bestiam indomitam (Acc. sg.)
- 16 usitato (Dat. sg.)
- 18 deinde
- 20 Melpomene una earum est
- 23 numerus distributivus (pl. n.)
- 25 sive
- 27 vir, qui Syracusas a tyranno liberavit
- 31 interiecti Latino

Barbara Maier



LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

Decima Septimana Latina Amoeneburgensis

moderatores: Wolfram Bohmhammel, Klaus Bottler, Thomas Götzhäuser, Mechtild Hofmann,
Vanessa Kayling, Klaus Sallmann

quando?: a die 19^o usque ad diem 25^{um} mensis Iulii anno 1998^o

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-35287 Amöneburg
(Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 370.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus
numerus participum erit 30), 140.- DM pro institutione (includitur pretium duarum
cenarum Romanarum et pretium excursionis)

Inscriptiones ad hanc *Septimanam Latinam* petuntur usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad:

**Thomas Götzhäuser
Kleeberger Straße 40
D-35510 Butzbach**

Vos, discipuli, studiosi, magistri sermonisque Latini amatores ad *Septimanam Latinam
Amoeneburgensem* invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines e diversis nationibus! Studia
Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum
aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras
per saecula exprimendas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam rem coquinariam Romanam colemus,
ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet,
instrumenta musicalia Si plus scire voletis, telephonate ad:

Thomas Götzhäuser, tel. (0049)-6033-16557

Vos salutant

**Wolfram Bohmhammel, Klaus Bottler, Thomas Götzhäuser, Mechtild Hofmann, Vanessa Kayling,
Klaus Sallmann**

Insimul et vobis et cognatis et amicis vestris annuntiamus inde a die 22^o usque ad diem 28^{um} mensis Augusti a.
1998^o in Francogallia SEPTIMANAM FRANCOGALLICAM - hoc est tam linguae Francogallicae quam cultus
Francogallici - FUTURAM ESSE.

Si quis plura scire volet, scribat ad inscriptionem cursualem hanc:

Europäische Sprach- und Kulturwochen e. V. c/o M. Hofmann
An den Drei Brunnen 13
D-60431 Frankfurt/M.

Schedula inscriptionis ad decimam *Septimanam Latinam Amoeneburgensem*

Decima *Septimana Latina Amoeneburgensis* incipiet die 19^o mensis Iulii hora 16^a et finem habebit
die 25^o mensis Iulii a. 1998^o hora 14^a. Institutur in domo "Johannes-Haus", Am Johannes 1, D-35287
Amöneburg. Pretium institutionis (140.- DM) usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad hunc locum
argentarium assignetur:

*Europäische Lateinwochen e.V.
D-60529 Frankfurt am Main
c.: 868205 (Frankfurter Sparkasse, 50050201)*

Una cum affirmatione inscriptionis Tibi etiam ampliores informationes de itinere deque *Septimana
Latina* mittemus.

Partem inferiorem mitte quaesumus ad:

Thomas Götzhäuser, Kleeberger Straße 40, D-35510 Butzbach

Insimul me decimae *Septimanae Latinae Amoeneburgensi* inde a die 19^o mensis Iulii usque ad diem
25^{um} mensis Iulii a. 1998^o in domo "Johannes-Haus", Am Johannes 1, D-35287 Amöneburg, futurae
inscribo. Pretium institutionis (140.- DM) usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad locum argentarium
supra scriptum assignabo.

In domo "Johannes-Haus" habitabo non habitabo

Pretium victus et habitationis (370.- DM in camera duorum lectorum; 400.- DM in camera unius lecti)
in domo "Johannes-Haus" post adventum moderatoribus solvetur.

Datum et subsignatio (si quis 18^{um} annum nondum compleverit, parentes subsignent)

Nomen et inscriptio cursualis:

Tel:

Aetas:

Quot annos linguam Latinam didicisti?

Hoc instrumentum musicum apportabo:

Seminaria «*Latinitatis vivae*» *Helveticum Morsacense*

65. Morsāci [*Morschach*] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

2.8.-8.8.1998

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973° intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroases qualitatis variae fiunt. Sed in nostris seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris vere Latini, ut et pronuntiatum vere Latinum proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Morsacense seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Societatem Latinam
Universität - FR 6.3
Postfach 151150
D - 66041 Saarbrücken

anno 1998° futura et *Hispanicum Matritense*

66. Alterum seminarium *Latinitatis vivae* anno 1998° per exceptionem locum habebit Matriti in Hispania. In Collegio Maiore studiorum universitatis Sancti Pauli (*Colegio Mayor Universitario de San Pablo*) participes excipientur, in quo aedificio perpulchro - in centro urbis Matriti sito - praeter conclavia, oecos institutorios, bibliothecam etiam multae aliae commoditates praebentur. Circumcirca autem in urbe ipsa atque in regione circumiecta possunt invisari atque comperi permultae res scitu dignissimae.

18.8.-25.8.1998

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit **Dr P. C. Eichenseer**, qui iam ab anno 1973° talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset *Latinitatis* omnium aetatum vere peritus. Eius cooperatrix, **Dr.rix Sigrides Albert**, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem *Latine loquendi* inducit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 170 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (pecunia pro pernoctatione et victu in deversorio solvenda est):

VOX LATINA
18353-661
Postbank Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Matritense seminarium Hispanicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonica adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B - 1040 Bruxelles

SOCIETAS LATINA

FERIAE LATINAE NICENSES XII

IN AEDIBUS SEMINARII DIOECESIS NICENSIS

CELEBRABUNTUR

a Lunae die 17a mensis Augusti 1998, hora 10a
ad Sabbati diem 22am mensis Augusti 1998, hora 15a.

Sub auspiciis Operis Fundati Vaticani :

"LATINITAS"

Schedae inscriptionis rogandae sunt a :

Dr. Felix W. KUCHER
St. Margarethen 36
A-9100 VÖLKERMARKT (AUSTRIA)
Tel. 04231 2457

vel a :

M. C. DESESSARD
Résidence des Collines C.9.
500, rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU (FRANCOGALLIA)
Tel. 0493 490191 vel 0493 086793

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur


RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

PP/Journal

4702 Oensingen

5+6/97

IDIBVS DECEMBRIBVS
MCMXCVII



RVMOR VARIVS



TOMVS 20

FASC. 121

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1									
2									
3									
4									
5									
6									
7									
8									
9									
10									
11									
12									
13									
14									
15									
16									
17									
18									
19									
20									
21									
22									
23									
24									
25									
26									
27									
28									
29									
30									
31									
32									
33									

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:
